

perseverent: et qui ex his ad provinciarum regimen atque administrationem qualibet fraude atque ambitione pervenerint, sciant se non solum in sua curia remansuros, sed et cunctis rureis ab exordio muneribus servituros. — Dat. 8 kalend. nov. *Constantinop.*, HONORIO A. 4 et EUTRICHIANO COSS. 398.

51. *Idem*, AA. et THEOD. A. Messala P. P. post alia.

Quamvis provisum fuerat congruae emendationis occursum, quemadmodum curiales militiae nomine et honore suspensio, officii redderentur: tamen quia hoc callido consilio repererunt, ut evitatis provinciae suae finibus, tanquam his eorum tantum interdictis fuisset accessus, peregrinos expeterent commeatus: ne diutius in perniciem curiarum, latitandi spes [perseveret] et solatia eos impunitatis sequantur, horum cupiditatibus obviamus: ut ex eorum bonis, qui se vel persecutioni, vel munitis civitatum, interdictae dudum ambitione militiae, vel qualibet fraude subtrahere conati fuerint, curiis, quas deseruerant, consulatur. Itaque si vocali edictis intra anni metas, hi tamen, qui manifestis curiae nexibus illigantur, latere potius, quam redire maluerint: sciant post emensum annum interpellatis provinciarum moderatoribus, ex facultatibus suis, curiis, quas destituerunt, esse consulendum. Neque enim de immaturo praedictio temporis possunt brevitate causari. — Dat. 17 kal. septemb. THEODOR. V. C. COSS. 399.

52. *Idem*, AA. Probino procons. Africæ.

Quis tam inveniri iniquus arbitrum potest, qui in urbibus magnifico statu praeditis, ac votiva curialium numerositate locupletibus, ad iterationem quempiam transacti oneris compellat: ut cum alii needum pene initiati curiae sacris fuerint, alios et continuo, et repetitæ saepe functiones adficiant? — Dat. 16 kal. april. *Mediol.*, CESARIO ET ATTICO COSS. 397.

53. *Idem*, AA. Eucharis procons. Africæ.

Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium extra metas territorii propriae civitatis. — Dat. 6 id. Mart. *Ravennæ*, HONOR. 9 ET THEOD. 5 AA. COSS. 412.

54. *Idem*, AA. Palladio P. P.

Generali lege sancimus, ut si quis suam decurionem curiae vindicare maluerit: si praesidis desit copia, in eundem manus injectione concessa, sciat ad examen cognitionis resultantem esse deducendum: ita ut moderator provinciae, (si questio fortasse fiducia defensionis ulla generatur) nisi intra tres menses causam originis competenti disceptatione cognoverit, atque convictum cum poena restituat debitis muneribus, vel liberum ab inquietudine pronunciat, decem librarum auri multam cogatur exsolvere: ejus etiam officium pari damni irrogatione teneatur. — Datum 5 non. Maji *Ravennæ*, DN. THEOD. 7 ET PALLADIO COSS. 413.

55. Imp. THEODOS. ET VALENTIN. AA. Isidoro P. P. post alia.

Si quis decurio, aut subjectus curiae ausus fuerit ullam affectare militiam, nulla temporis praescriptione muniatur, sed ad conditionem propriam retrahatur: nec ipse, vel ejus liberi post talem ipsius statum procreati, quod patriae debetur, valeant declinare. — Dat. 5 non. april. *Constantinop.*, ISIDORO ET SENATORE COSS. 456.

56. *Idem*, AA. Isidoro P. P.

Alexandrinis principalibus, etsi advocacione fungantur, nihilominus onus peregrinationis incumbat: nec publica cura nisi in sua tantum civitate committatur: et primus curiae quum muneribus universis expletis ad summum pervenerit gradum, comitivae primi ordinis fruatur post biennium, dignitate praestita: in curialibus tamen permaneat. — Dat. prid. non. Jun. *Constantinop.*, ISIDORO ET SENATORE COSS. 456.

57. *Idem*, AA. Isidoro P. P.

Quinque summates ordinis Alexandrini a corporalibus injuriis immunos esse censuimus, ut voce liberos commoditates patriae defendant: cum possint, si quid egerint criminose, pecuniariis coerceri dispendiis. Estimabuntur autem praesente curia, viri spectabiles Augustalis iudicio. — Dat. prid. non. Jun. *Constantinop.*, ISIDORO ET SENATORE COSS. 456.

58. *Idem*, AA. Isidoro P. P.

Eum, qui triginta annos in Alexandrina civitate civilibus inhaeserit muneribus, corporalibus injuriis, non pecuniariis excusari convenit: habita consideratione videlicet meritorum, ut hoc bene cognitum privile-

58. L. 55, infr. l. 17, sup. h. t. — 54. L. pen. sup. de rescind. vend. — 55. L. 5, infr. quemadmodum. civit. mun. l. 11, tit. 42. — 56. L. 239, § 8, D. de verb. sign. — 57. L. 2, sup. h. t. — 58. L. 17, l. 38, l. 54, sup. cod. — 59. L. 21, sup. de episcop. et cleric. l. 64.

gium consequantur, nec eo passim fruantur indigni. — Dat. prid. non. Jun. *Constantinop.*, ISIDORO ET SENATORE COSS. 456.

59. *Idem*, AA. Isidoro P. P.

Si quos spontaneos hypomenatographi munificos suis exhortationibus ad publicas nominaverint functiones, jubemus non expectandum esse consensum pro tempore viri spectabilis Augustalis, qui sit plerumque venalis, sed utriusque partis sufficere voluntatem, ut incipiat functio, quam nullus incusat: tunc ad memoratum iudicem tam nominati, quam etiam creatoris consona relatione currente, quam si suscipere vel confirmare distulerit, sciat se viginquinque librarum auri condemnatione plectendum. — Dat. prid. non. Aug. *Constantinop.*, ISIDORO ET SENATORE COSS. 456.

60. *Idem*, AA. Thomae P. P.

Nullus, qui nexu generis curiae tenetur obnoxius, per substitutam quancumque personam curiales implet functiones: sed ipse per se debitum patriae munus exsolvat, etsi spectabili dignitate decoratus sit: nisi hoc ei speciali beneficio sit concessum. Hi vero, qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt per substitutos periculo suarum facultatum curiae muneribus satisfacere non vetentur.

61. Imp. LEO A.

Neque Dorotheum virum illustrem, et totam ejus substantiam, neque Irenaeum virum spectabilem tribunalium et notarium, etsi ante paterna illustres dignitates natus est, ullam inquietudinem pro curiali genere, et conditione sustinere decernimus. Liberos quoque eorum, qui vel jam sunt, vel futuri sunt, eorumque posteros, quotiescunque continuata temporum, et successionum perpetuitate nascentur, a conditione curiali, et functione esse liberos: lege divae memoriae Juliani (quae de materno curialium Antiochenae civitatis genere promulgata est) nihil in persona viri illustris Dorothei, vel viri spectabilis Irenaei, vel adversus facultates eorum, vel adversus liberos eorumdem, qui vel jam nati sunt, vel postmodum quoquo tempore nascentur, vel adversus substantias eorum roboris vel juris habitura. Circa alias sane universas personas de materno genere ad memorate Antiochenae civitatis tantummodo curiam pertinentes, eandem legem praecipimus obtinere propriam firmitatem.

62. *Idem*, A. Constantino P. P.

Si ille, qui ex filia decurionis Antiochenae splendidissimae civitatis, et patre, qui nullius alterius civitatis munitis debebatur, procreatus est, sub examine provincialis iudicis vel sponte confessus: vel certe convictus fuerit, quod ex filia sit curialis progenitus, et albo decurionum adscriptus fuerit: nullam sibi superesse facultatem negandae vel evitandae conditionis existimet: et curialem non adspernari fortunam avi materni sui pertinet, nec dubitet se munitis curialibus subijcere. Quod si quem curia, de qua praesens sanctio loquitur, natum ex filia curialis minime secundum praestitutam ordinationem sibi sociandum curaverit: prolem ejus pulsare nullo modo penitus poterit: nec enim patrum conventionem ejusmodi praetermissio filio, quem curialis filia ediderat, a nepote, vel pronepote, vel ulterius incipere.

63. *Idem*, A. ad Senatam.

Doctissimi viri clarissimi jubemus fortunam supercuriali conditione nullo modo [esse] inquietandam, nec facultatibus ejus: sed eo, qui hujusmodi conamen inierit, sacrilegii poenam luituro. — § 1. Omnes, qui post actam illustrem administrationem, vel adhuc in ea positio patre suo gi-gnuntur, a curialium intentione defendantur una cum paternis sine dubio substantiis, quas cum persona patris a curiali nexu liberas esse nemo dissimulet.

64. Imp. ZENO A. Sebastiano P. P.

Neminem ex his, qui obnoxii curiae constituti ab initio felicissimi nostrae pietatis imperii, comites privatarum nostrae, vel [piissimae] Augustae patris, sive comites largitionum, vel comites domesticorum, quaestores, vel magistri officiorum, [licet] ad actum administrationis gerendum proventi sunt, vel in posterum provehantur, ob hoc curialium munerum laqueos volumus evitare: sed obligatos cum liberis suis quancumque progenitis, et facultatibus suis post administrationem depositam, curiae commoditatibus inservire: nisi forte aliis privilegiis super hoc legibus cognitis muniatur. Nam alia universa legitima vel ex constitutionibus data privilegia integra volumus, illibataque servari. Ne tamen indulti honoris inane nomen retinere videantur,

vers. ne tamen, infr. h. t. — 60. *Confer* L. 65, § 1, infr. cod. l. 11, infr. de dignitat. — 61. L. 23, sup. h. t. — 62. d. l. 25, l. 61, sup. cod. — 63. *Adde* l. 1, § ult. D. ad municipal. — 64. L. pen. et ult. infr. h. t.; *et* *cap.* L. 61, in fr. sup. cod. — 65. *Restringit* ex L. 65, infr. cod.

dignitatum titulis potiantur, per substitutos suarum periculo facultatum curialibus muneribus respondentes: habeantque integra, illibataque privilegia dignitatis. Eos vero, qui praefatas dignitates ante initium nostri imperii consecuti sunt: cum facultatibus suis, et post eam dignitatem progenitis filiis a curialibus nexibus, vel onere decernimus liberari. Hos autem, qui quocunque tempore patricii, vel consules, aut consulares facti sunt, aut in posterum fuerint, aut magistri militum, vel praefecti praetorio Orientis, vel Illyrici, vel urbis administrationem in actu positi quandoque gesserunt, aut postea gesserint: omnimodo cum facultatibus suis, et post eam dignitatem progenitis filiis, a curiarum nexibus, vel onere decernimus liberari.

65. Imp. ANASTASIUS A. Polycarpo P. P.

Divae memoriae Zenonis sacratissimam constitutionem, quae de curialibus post certas excelsas administrationes, seu dignitates conditionis nexu liberandis lata est, in hac tantummodo parte duximus corrigendam, qua cavetur eos etiam, qui ante eandem constitutionem, ab initio tamen ejusdem divae recordationis Zenonis imperii, comites privatarum rerum nostrae, vel piissimae Augustae partis, seu comites [sacrarum] largitionum, vel comites domesticorum, quaestores, aut magistri officiorum [licet] ad actum administrationis gerendum proventi sunt, minime curialium munerum laqueos ob hoc evitare, sed obligatos cum liberis suis quancumque progenitis, et facultatibus suis, post administrationem depositam curiae commoditatibus inservire, nisi forte aliis privilegiis super hoc legibus cognitis muniatur. His etenim, qui memoratas administrationes, vel unam ex his peregerunt, necnon liberis, et rebus eorum, beneficium quod ante per illustrem administrationem peractam eis acquisitum est, intactum, illibatumque jubemus servari: ut relaxatione conditionis, et munerum curialium, per anteriores principales dispositiones sibi concessa, tam ipsi, quam liberi eorum post hujusmodi administrationem adeptam procreari una cum propriis substantiis potiantur, et si contigerit, eos post divae memoriae Zenonis constitutionem, sive per se, sive substitutos suos curiae competentia munera subijcere: eadem videlicet constitutione divae memoriae Zenonis ex die, quo promulgata est, suas vires obtinente: cum conveniat leges futuris regulas imponere, non praeteritis calumnias excitare.

66. Imp. JUSTINIANUS A. Demostheni P. P.

Curialibus consortiis consulentes, censemus, ut nemo sibi blandiatur, et non certis modis sese liberum esse existimet: sed pro nostra forma tantummodo sciat posse libertatem sibi curialis competere conditionis: omnibus anterioribus modis quos non comprehendit praesens sanctio, ex praesenti die antiquandis. Si quis igitur vel summum patriciatum honorem fuerit consecutus, sive infulus consulatus honorarii aut ordinarii fuerit ampliat, ut vel consul, vel consularis efficiatur: seu praefectorum praetorio infulus susceperit gubernandas, vel urbariarum (in ipso tamen actu) meruerit praefecturae, necnon magistri militum officium gerendum suscepit, is gaudeat se hujusmodi conditionis esse exortem, et liberum cum suis facultatibus saepe posteritate, quam postquam meruerit dignitatem, vel actum gesserit, ediderit: anterioribus filiis in conditione pristina remansuris, tam praefecturae quaestoris quam viri eloquentissimi fisci patroni: tam praefecturae quae Orientalibus et Illyricianis praesidet sedibus, quam urbariarum, nexibus curiae liberantur, cum ad fisci patronatum pervenerint, una cum substantiis et liberis suis, quos vel ante habuerint, vel postquam ad eundem gradum proventi sunt. Viri etiam clarissimi principes agentium in rebus, curiae libertatem ex antiquis legibus consecuti sunt: et viri spectabiles proximi sacri scrinii nostrae memoriae, et sacrarum epistoliarum, necnon sacri scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum et dispositionum cum substantiis suis et liberis quos post emensa stipendia susceperant: hoc etiam nos corroborantes intuitu laborum quos multo, longo, prolixoque tempore pertulerint, intactum illibatamque conservamus: ut hi omnes fortuna curiali liberentur cum sua substantia, saepe solole, secundum ea quae praediximus. Ex aeo autem sequente progenitis antea, nullius futuri fisci patroni liberos concedimus liberandos: ut ne quod summis apicibus dignitatum non est concessum, hoc alii sibi audeant vindicare: sed progeniti filii antequam ad fisci patronatum pervenerint, in conditione pristina remaneant. Aliis [autem] modis] quam his quos sigillatim numeravimus, sive legibus antiquis comprehensi sunt [qualis erat in ex tribus maribus concessum ante fuerat patri maximo senatui sociare], sive comprehensi anterioribus scrip-

66. L. 60, in fin. sup. cod. — 67. L. ult. infr. cod. — 68. L. 64, sup. cod. — 69. L. 7, sup. de legib. l. 53, § 1, in fin. sup. de episcop. et cleric. — 70. N. 38, in pr. § 5; N. 70, in pr. et c. 1, § 1; N. 81. — 71. L. 7, infr. de princip. agent. in reb. lib. 12, tit. 22. — 72. *Confer* L. 65, § 1, sup. h. t. — 73. § 14, vers. testamentum, inst. de hered. quae ab intest. l. pen. § 3, sup. de adopt. — Tit. XXXIII. — 1. *Vide* tamen N. 78, c. 1. — 2. L. un. sup. ad leg. Visell. — 3. *Adde* L. 11, sup. de liberali caus.

tis non fuerant, liberationem competere cuidam curialis fortunae nullo patimur modo: sed sive pragmatica super hoc processit, sive sententia eminentissimae praefecturae, sive alius modus quicunque excogitatus est: ea omnia penitus vacuari, et profectis haberi, et curialia corpora suis reddi civitatibus, et substantias eorum subjacere, nulla excusatione eis penitus competente.

TIT. XXXII.

SI SERVUS, AUT LIBERTUS AD DECURIONATUM ADSPIRAVERIT.

1. Imp. DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS AA. et CC. Saturnino.

Si libertus, vel jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non restitutus: praeses provinciae non tantum curiae participare non permittat, sed juxta legis severitatem congruenti poena ulciscatur.

2. *Idem*, AA. Oricinae.

Praeses provinciae si cum qui adilitate fungitur, servum tuum esse cognoverit, si quidem non ignarum conditionis suae ad adilitatem aspirasse perspexerit, ob violatam servili macula curiae dignitatem congruenti poena adficiet. Si vero quum opinione publica mater ejus pro libera haberetur, ex decurione procreatus, ad capessendum honorem errore lapsus processit, dominio tuo eum subjugabit.

TIT. XXXIII.

DE PRAEDIIS DECURIONUM SINE DECRETO NON ALIENANDIS.

1. Imp. VALENTIN. ET THEOD. ET AEGAD. AAA. Cynegio P. P.

Si quis decurionum vel rustica praedia, vel urbana venditor necessitate coactus addidit, interpellat iudicem competentem, omnesque causas sigillatim, quibus strangulatur, exponat: et ita demum distrahendae possessionis facultatem accipiat, si alienationis necessitatem probaverit. Infirma enim venditio erit, si haec fuerit forma neglecta: ita enim fiet, ut nec immoderatus venditor nec emptor, [cujuscunque sit conditionis] inveniatur injustus: denique nihil erit postmodum quo venditor vel circumventum se insidiis, vel oppressum potentia comparatoris queri debeat: quandoquidem sub fide actorum, et de necessitate distrahentis, et de voluntate patuerit comparantis. Quod si quis contra vetitum occultis molitionibus per suppositas fraude personas, cujuslibet loci quem tamen [e]i decurio distrahebat, comparator extiterit: sciat se pretio quod dedit, esse privandum: et locum quem comparavit, cum fructibus esse restituendum. — Datum 8 kalend. decembr. *Constantinopol.*, HONORIO NB. P. ET EVODIO COSS. 386.

2. Imp. THEOD. ET VALENTIN. AA. Florentio P. P.

Nec venditio rei hereditariae curiae acquisita, aut debitoris hereditarii qui solverit, liberatio aliter admittenda est: nisi apud acta totius vel majoris partis ordinis intercedente decreto, ineundi contractus, vel dissolvendae obligationis causa probetur: ita enim et id quod ex ea redigitur, ad praediorum jubemus comparationem expendi: quorum redditus omnes, (sicut dictum est) ejusdem curiae publicis muneribus quae solatio egere constitit, justissime servabuntur: ex consensu omnium et maxime ditionum, vel idonea fidejussione oblata conductoribus eligendis. — Dat. 5 id. Jun. *CP.*, FELICE ET TAURO COSS. 428.

3. Imp. ZENO A. Sebastiano P. P.

Curiales vendere quidem res immobiles, vel mancipia rustica prohibemus [sine] interpositione decreti: donationes vero vel permutaciones, vel quoslibet alios etiam sine decreto permittimus celebrare contractus: quoniam et sacrae constitutiones quae super hoc a retro principibus latae sunt, in plurimis suis partibus de pretio non redhibendo locutae sunt: ut ex hoc apertissime detur intelligi, solum venditionis decurionibus sine decreto interdictum fuisse contractum: cum tamen venditio intercedente (ut dictum est) decreto agitur: nullum eos, vel qui ab his comparant, dispendium cujuscunque personae, vel causae, vel theatri liberalitatis

TIT. XXXIII. — 1. L. ult. infr. h. t. — 2. L. ult. sup. de offi. ejus qui vic. a. senj. jud. — 3. *Adde* l. 15, § 2, D. ad municip. l. pen. sup. de rescind. vend. l. 7, infr. de agric. et censu. lib. 11, tit. 47: l. ult. infr. de fund. rei privat. lib. 11, tit. 65. — 4. L. ult. in fin. infr. de vendend. reb. civit. lib. 11, tit. 51. — 5. N. 38, in pr. § 1, vers. et rursus. — 6. *Adde* l. 22, in pr. sup. de admin. tut. — 7. *Mat. d. N. 38, in pr. § 1, vers. c. 1.* — 8. L. 105, D. de reg. jur.